





COLLEGII QUARTI  
In Augustanam Confessionem,  
quod adhuc est

# De Ecclesia,

DISPUTATIO VI.

Et in specie de Quæstione,

An omnes Christiani, quando  
oriuntur dissensiones in fide, debeant adhærere illi  
parti, quam tenet Romanus Pontifex, si non velint errare;  
proindeq; Pontifex iste sit caput sive pastor univer-  
sali Ecclesiæ:

*Proposita*

In Electorali Academia VVittebergensi,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

ANDREA HINCKELMANNO

Onoldino Franco.

*In Auditorio Collegii Veteris*

Ad diem 22. Maji.

---

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTH I, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXXI.

COLLEGIUM QUARTUM  
in Augustiniani Confessionem

De Ecclesia

Disputatio  
An omnes Christiani quando

quod dicitur in scripturis, debent esse eadem

sentientiam, et non possint esse

diversi in sententiis, et in doctrinis

et in moribus, et in ritibus

et in caeremoniis, et in disciplina

et in constitutionibus, et in legibus

et in statutis, et in decretis

et in consuetudinibus, et in usibus

et in privilegiis, et in immunitatibus

et in exemptionibus, et in libertatibus

et in iurisdictionibus, et in potestatibus

et in auctoritatibus, et in officibus

et in gradibus, et in dignitatibus

et in honoribus, et in rebus

et in personis, et in rebus

et in personis, et in rebus

et in personis, et in rebus

et in personis, et in rebus

et in personis, et in rebus

et in personis, et in rebus

et in personis, et in rebus

et in personis, et in rebus



## Continuatio.

**S** Equitur, ut videamus, an verum sit, quod contendit Becanus, omnes Christianos, quando oriuntur dissensiones in fide, debere adhærere illi parti, quam tenet Romanus Pontifex, & sedes Apostolica, si non velint errare: Proindeq; Pontifex sit caput sive Pastor Universalis Ecclesiæ.

### THESIS I.

Hoc tertium privilegium esse Pontificis Romani dicit Becanus lib. 3. de Republ. Eccles. cap. 4. §. 23. eidem verò secundum est in Manuali lib. 1. cap. 4. §. 68. Ubi sic pergit: *Secundum privilegium est, quod omnes Christiani, quando oriuntur dissensiones in fide, debeant adhærere illi parti, quam tenet Romanus Pontifex, & sedes Apostolica; si non velint errare. Hoc tradunt antiqui Patres. Irenæus lib. 3. contra hæreses. c. 3. rationem reddens, cur potius describat successionem Episcoporum Ecclesiæ Romanæ, quam aliarum Ecclesiarum particularium, sic scribit: Ad hanc enim Ecclesiam; propter potentiores principatatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt undiq; fideles: in qua semper ab his, qui sunt undiq;, conservata est ea, que ab Apostolis est, traditio.*

II. Sic ergò vult argumentari Becanus: Cujus sententiæ omnes Christiani, quando dissensiones in fide oriuntur, adhærere debent, si non velint errare; ille est Caput Ecclesiæ & universalis Pastor: Atqui Pontifex est is, cujus sententiæ omnes Christiani, quando dissensiones in fide oriuntur, adhærere debent: Ergò Pontifex Romanus est caput Ecclesiæ &

universalis Pastor. Ad majorem dicimus, quod laboret amphibologia. Potest enim ita intelligi: *Cujus, tanquam ex se veritatem loquentis, & sic controversias propriâ autoritate decidentis, sententiæ omnes Christiani in controversiis de fide adhaerere debent, ille est Caput Ecclesiæ.* 2. Etiam hoc modo: *Cujus, non quidem ex se, sed ex præscripto Dei verbo, veletiam ex immediatâ Spiritus Sancti illuminatione & informatione, veritatem loquentis, sententiam in controversiis fidei sequi debemus, ille est Caput Ecclesiæ.* Si hoc posteriori modo acceptetur, simpliciter falsa est. Si prior, rursus committi videtur fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Nam sententiæ Spiritus sancti simpliciter adhaerere debemus: qui tamen propterea non dicitur Pastor vel caput Ecclesiæ universale: Cum epitheta & attributa illa solius Christi sint propria.

III. Minor quoque simpliciter vera non est. Nulli enim homini in negotiis fidei, sed soli Deo, & ipsius verbo propriè adhaereamus. Si autem omninò & hac in re audiendi sint homines, ut vera Ecclesiæ, quæ est cœtus hominum: id tamen non fieri debet, quia homines sunt, sed quia in ipsorum cœtu rectè docetur verbum Dei. Cœtui ergò humano & sic Ecclesiæ, adhaerendum est, sed propter aliud, nempe veritatem verbi divini; quæ in illo cœtu sonat & docetur.

IV. Ad autoritatem Irenæi, quâ minorem probare satagit, respondemus, primùm, committere Becanum fallaciam causæ, quando dicit: *Irenæum allegatis verbis reddere rationem, cur potius describat Successionem Episcoporum Ecclesiæ Romanæ, quàm aliarum particularium, nempe hanc ipsam (quæ nimirum ipsius iudicio contineatur in verbis Irenæi) quod Pontifex Romanus sit caput & pastor universalis Ecclesiæ.* Irenæus enim hujus sui facti longè aliam reddit causam, eamque geminam: Primam: *quoniam valde longum esset, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successionem:* Alteram: *quoniam maxima erat & omnibus cognita.* Illa ergò causa est, cur omissæ sint aliæ: Hæc verò, cur, cum omnes non posset, hanc potissimùm elegerit,

gerit. Ergò verum est, quod diximus, Becanum vere causam  
falsam Sophisticè substituisse.

V. Deinde sensum verborum Irenæi hunc esse, Pontifi-  
cem Romanum esse caput & pastorem universalem Ecclesie, per-  
suadeat suæ libidinis mancipiis; nobis, qui illorum numero  
non continemur, nunquam. Haud dubiè sensum illum, quem  
urget Jesuita, inde vult detorquere: quod 1. dicat Pater, ad hanc  
Ecclesiam necesse est omnem convenire Ecclesiam. 2. quod hujus ne-  
cessitatis videatur reddere rationem his verbis: propter po-  
tentiorem principalitatem. 3. Quòd se porrò explicet, quos per  
omnem Ecclesiam intelligat, inquiens: hoc est, omnes, qui un-  
diquè sunt fideles. Et 4. quod concludat, in hac semper ab his, quæ  
est ab Apostolis, traditio. De singulis ordine.

VI. In primo, secundo & quarto momentum Jesuiti-  
cæ hujus interpretationis positum esse existimat Bellarminus  
& Feu-ardentius: hoc est, (inquit) ab ea, tanquam capite & fonte  
pendere: Feu-ardentius: hoc est, membra cum capite convenire,  
nec latum unguem ab ejus communionem discedere: idè, geminam ob-  
causam: Primum propter potentiorem principalitatem, seu locum,  
gradumq; principem in jurisdictione & autoritate: deinde quia ha-  
tenus omnes semper conservarunt fidem in hac Ecclesia, id est, in  
unionem & adhesionem ad hanc Ecclesiam ut caput & Matrem. Hunc  
enim sensum esse ultimi membri verborum Irenæi putat Je-  
suita.

VII. Indagandum ergò ante omnia, quid Irenæus per  
potentiorem principalitatem *ἰσχυρωτέραν δὲ χλὴν* intelligat. Sanè  
mihi persuaderi nunquam patiar, Irenæum illam tribuere Ec-  
clesiæ, quæ tùm Romæ erat. Ratio 1. Quia phrasis illa nullo  
unquam usu dicta est de Ecclesiastica politia vel potestate Epi-  
scopi: Non enim Episcopi est dominari, *Matth. 20. Luc. 22.*  
neque dominari Clero, *1. Petr. 5. v. 3.* Et Origines in cap. 6.  
Esa. dicit: *Episcopum non ad principatum, sed ad servitutem totius  
Ecclesie vocari.* Quare si velit Pontifex Romanus esse Episco-  
pus, cogitet de servitute, non de principatu. 2. Deinde nul-  
lo modo ac ratione id eò tempore de Romana Ecclesia vel

Episcopis ejus dici potuit: quippe qui tūc erant homines pauperes, habebantur pro purgamentis mundi & pro fæce omniū hominum, & securi illorum cervicibus semper imminente, perpetuis persecutionibus exagitabantur. Manifestum ergo *Principalitate* in istam ad Episcopum Romanum non pertinere, nec referri posse.

II X. Ergo dictam accipimus de seculari potestate urbis Romæ, quæ longè lateque temporibus Irenæi dominabatur: De qua loquitur Canon Constantinopolitanus: *Διὰ τὸ κενεῖσθαι τὴν πόλιν.* Hoc namque modo Ecclesia principalis illa dicitur, quæ in principali sive primaria urbe constituta est. 7. q. 1. *Placuit, ut nemini sit concessum, relicta principali cathedra ad aliam Ecclesiam, in diœcesi positam, se conferre.* Simile habemus apud Augustinum, *Epist. 35.*

IX. Deinde illud *convenire* in primo membro nulli dubitamus, esse pro Græco *συνέχεσθαι*, non verò, ut Jesuitæ fingunt, pro *communione sine consensione*: pro qua dicas quidem: *Convenit mihi tecum*: non verò: *Convenio ad te*. Et dic sodes, quodnam Græcum vocabulum esse potuerit, quod ita interpretes verteret & exprimeret? Et quidem istiusmodi interpretes, quem res ipsa testatur, non liberè more doctorum, sed *κτὶ νόδας* vertere omnia: Unde etiam latinitas ei tam perverla: ut in eodem capite: *Adest perspicere; habemus annumerare; præterquam oportet, colligitur*: Et multa alia.

X. Præterea observandum est, quomodo illud primi membri; *Omnem Ecclesiam*, explicet Irenæus in tertio membro, nimirum *eos, qui sunt undiq; fideles*: nempe ne totas Ecclesias intellexisse, quis arbitraretur, cum duntaxat suos fideles, & vera vivaque Ecclesiæ membra intelligeret.

XI. Si ergo quædam ex proximè antecedentibus jungantur, sensus horum Verborum Irenæi, hætenus explitorum, hic erit: *Romane Ecclesiæ exemplum valde illustre esse, tum quia urbs illa esset in toto terrarum orbe notissima: tum quia non duntaxat auditione, quanam esset, intelligeretur: Sed ipsis quoque oculis testibus; quod necessum esset, Romam plurimos undiq;*

COM-



constare ob summam summi Imperii dignitatem: Cum verò ita ad urbem confluerent omnes, non poterant, qui fideles erant, Ecclesiam ibi non agnoscere. Sicuti in hunc quoque modum loquitur Concilium Antiochenum *Canone 9.* Postquam enim decrevit Metropolitanum à cæteris esse cognoscendum, rationem subiicit hanc: *Διὰ τὸ ἐν τῇ ὑπερβολῇ πάντων χεῖρον συντρέχει πάντας τὰς τὰ πρᾶγμα ἔχοντας: Propterea quod ad Metropolim omnes undiq; concurrant, quibus sunt negotia.* Quid verò hæc ad Caput vel Pastorem Ecclesiæ universalis?

XII. Forsan, inquis, continentur ista in quarto & ultimo membro? Verùm quis Oedipus nobis verum illius sensum dabit? Non Bellarminus, non Feu-ardentius, non Becanus, non alius. Alius vix dabitur inter Pontificios, qui meliora his adferat. Becanus nuda verba sine interpretatione adducit. Bellarminus ita exponit: *Semper omnes conservaverunt fidem in hac Ecclesia, id est, unione & adhesionem ad hanc Ecclesiam, ut ad caput & matrem.* Sed quis tam stupidus & bardus, ut non intelligat. 1. interpretationem hanc insolentem esse: quis enim unquam audivit, *conservare traditionem, aliquam Ecclesiam, aliud esse vel significare, quàm ea ipsa Ecclesia conservat apud se eam traditionem.* 2. Illa, *caput & mater*, importunè & in fraudem disputationis inserta esse. Ubi enim levissimum horum Verborum indicium in sententia Irenæi? monstretur illud? significetur? ἀδύνατον est! quare tantum abest, ut interserviant interpretationi istius loci, ut potius sint alienissima; ad illum nihil pertinentia. 3. Interpretationem istam, contextum sententiamque absurdam, & pessimam ἀδολεσχία laborantem proindeque monstrosam efficere. Nam verba illa membri primi, *Necesse est convenire*, paulò antè exposuit Bellarminus, hoc est, *ab eâ Ecclesia, omnes Ecclesias, tanquam à capite & fonte, pendere.* Jam verò necessitatis hujus hanc causam ab Irenæo proferri dicit: *quod in ea ab his, qui sunt undiq; conservata est Apostolorum traditio: hoc verò esse, ac si dixisset, omnes ei Ecclesias adhesisse; tanquam capiti ac matri.* Hæc si componamus, talis erit oratio: *Ab Ecclesia Romana necesse est omnes*  
illi

*illi Ecclesie adhaerent, tanquam capiti & matri. Quisnam sanus ejusmodi monstrum orationis Irenæo tribueret?*

XIII. Neque deinde Feu-ardentii interpretatio cum verbis Irenæi rectè consentit, quando ea simpliciter exponit, *vera fidei & sincera pietatis traditionem in ea Ecclesia esse conservatam.* Quandoquidem primum hæc verba, *ab his, qui sunt undiq;*, omittuntur; quæ verò ociosa, & frustra ab Irenæo esse addita, nemini persuadebitur. Deinde neque contextus constabit. Absurda enim est conclusio: *Necesse est omnes Ecclesias cum Romana convenire* (si omninò concedamus, Irenæum dixisse *convenire cum Romana*): Cum interim ita non sit locus: *Sed ad Romanam*) *ut membra cum capite; quia in illa conservata fuit vera traditio fidei.* Quandoquidem aut inde inferendum esset, quamlibet Ecclesiam, in qua fuit traditio veræ fidei & sinceræ pietatis conservata, pro capite Ecclesiarum esse agnoscendam; aut solam Romanam Ecclesiam traditionem veræ fidei & sinceræ pietatis conservasse. Utrumque verò vehementer falsum. Quod de primo per se liquet. Quomodo enim quælibet vera Ecclesia poterit omnium Ecclesiarum esse caput? De altero id ex illo ipso Irenæi capite planum fit, quippe qui ibidem Ephesianam & Smyrnesem ejus traditionis testes laudat: quos verò Jesuitæ nunquam ut capita, ut matres aut fontes admittent.

XIV. Palàm ergò est, neutram expositionem consistere: Proindeque optandum esset, sententiam hanc in Originali Græco haberi posse. Interpres enim quicumque tandem ille fuerit, plurimis locis officio boni, sinceri ac fidelis interpretis functus non est, quod cum primis ex Feu-ardentio demonstratur. Non displicet conjectura, quâ non nemo asserit illud *conservata esse pro observata*, ut Irenæi sensus sit: *Omnes fideles ex variis orbis terrarum partibus Romam confluentes, facile observasse Apostolicam traditionem in ea Ecclesia conservatam esse.* Sed hoc rursus nihil ad conclusionem Becani stabilendam.

XV. Pergit ille in eodem paragrapho Manualis, sed  
in

in lib. 3. *Repub. Eccles. §. 24.* *Et Divus Hieronymus epist. 8. ad Demetriadem c. 9.* *Et quia vereor, imò rumore cognovi, in quibusdā adhuc vivere & pullulare venenata blandaria; illud te pio charitatis affectu præmonendā puto, ut Sancti Innocentii, qui Apostolica Cathedra successor est, teneas fidem: nec peregrinam, quantumvis tibi prudens, callidāq; videaris, doctrinam recipias. Ubi etiam insinuat rationem, cur Pontifici in fide adhaerendum sit, quia nimirum Pontifex est Successor Petri Apostoli. At Petro & Successoribus illius dictum est, ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

XVI. Argumentum ergò Becani sic concludit: Qui adliquem adhortatus est ad constantiam in fide, quam tūc profitebatur Innocentius Apostolicæ Cathedræ successor, ille monuit adhærere Pontifici Romano, quia Successor sit Petri Apostoli: Atqui Hieronymus Demetriadem adhortatus est ad constantiam in fide, quam tūc profitebatur Innocentius Apostolicæ Cathedræ Successor: Ergò Hieronymus monuit adhærere Pontifici Romano: quia Successor sit Petri Apostoli. Et rursus: Qui est Petri Apostoli Successor, illi dictum est æquè ac Petro: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos:* Atqui Pontifex Romanus est Successor Petri Apostoli: Ergò Pontifici Romano æquè ac Petro dictum est: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, &c. 3.* Cui autem hoc dictum est, ille non potest errare in fide; At Pontifici hoc dictum est. E. non potest errare in fide. 4. Qui autem non potest errare in fide, illi simpliciter adhærendum & ab ejus sententia non licet ulterius provocare.

XVII. Majorem primi Syllogismi probat Becanus: *Quia, inquit, in allegatis verbis insinuat Hieronymus rationem, cur Pontifici in fide adhaerendum sit: quia nimirum Pontifex est successor Petri Apostoli.* Dicit hoc Jesuita, sed non probat. Quæ sunt illa verba, quibus rationem istam insinuat? Forsan quando dicit: *Qui Apostolica Cathedra Successor est?* At hoc est idem per idem & sic nihil probare. Demonstravimus disputatio-

B

ne 3.

ne 3. *Tertulliano cap. 36. de præscriptionibus*, autore, Cathedras Apostolicas dici Corinthum, Philippos, Thessalonicam, quarum tamen urbium nullus Apostolus, nedum Petrus, fuit Episcopus; sed eas tantum Paulus fundavit & docuit. Addit ibidem Tertullianus: *Eæ autem Cathedræ, quæ adhuc suis locis præfidentur, perpetuam habent Successionem, ab Apostolis decurrentem.* Ut ergò non sequitur: Dionysius Corinthiorum Episcopus Successor est Apostolicæ Cathedræ: Ergò Successor est Petri, & omnia habet privilegia, quæ Petrus. Idem de cæteris: Sic quoque hæc Becani consequentia non nisi in consequentia est. Hortatur ergò Hieronymus Demetriadem ad constantiam in fide, quam tum profitebatur Romanus Pontifex: Proindeque non insinuat rationem illam, quod Petri successor esset; sed quod doctrinam haberet puram. Hoc namque erat Successorem esse Apostolicæ Cathedræ. Rectè enim Tertullianus de præscript. cap. 32. *Ecclesiæ, quæ licet nullum ab Apostolis vel Apostolicis autorem suum proferant, ut multò posteriores, quæ deniq; quotidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes, Apostolicæ deputantur, pro consanguinitate doctrinæ.* Et Hieronymus ad Euagr. *Omnes Episcopi (Orthodoxi) Apostolorum successores sunt.*

XIIX. In secundo argumento rursus negamus Majorem. Nam verba Christi, Luc 22. v. 32. *Ego rogavi pro te, Petre, ut nõ deficiat fides tua: &c.* ad solum Petrum directæ sunt. Loquuntur enim de singulari ac personali factò, nempe de futuro lapsu Petri; Proindeq; sedulò monent & præmuniunt ipsum, ne desperatione absorbeat post abnegatum Christum. Et sanè hanc consolationem nisi habuisset Petrus, procul dubio ipso lapsu & abnegatione obrutus fuisset. Si autem extendi debeant verba ista ad alios; tum id alia ratione fieri nequit, quàm quia exemplum contineant gravissimi lapsus: quomodoq; peccatores resipiscentes Christus non deserat: & quod conversi suo exemplo convertere debeant alios; ne unquam desperent, utcunque labantur. Nihil ergò hæc ad Episcopos Successores Petri, sed ad illos, qui in ejusmodi peccatis con-

tra

tra conscientiam, ejus sunt successores: quo modo Pontifices Romanos Petri successores, & quidem cum magno augmento, esse, non negamus.

XIX. In tertio argumento negamus utramq; præmissam, & Majorem & Minorem, quia continetur in præcedentis secundi argumenti Majore: vel ipsa ejus Major est: quam modò refutavimus. Majorem. Nam ipse Petrus, acceptâ hac consolatione ex promissione, graviter lapsus est abnegando Christum. Deinde conclusionem falsam esse, ex falsis præmissis illatam, docet Tertullianus, referens, *Romanum Pontificem fuisse Montanistam & probavisse Prophetias Montani, Priscæ & Maximillæ.* Honorius Papa inter hæreticos est numeratus, & post mortem damnatus in sextâ synodo: cujus solenne judicium extat *actione decimâ tertiâ: Et actione 16. anathematizatur his verbis: Honorio Hæretico anathema. Et actione 17. numeratur Honorius inter organa, quibus usus est ad inventor malitiæ ab exordio. Et in editione Græca C. 1. profitetur Synodus, se damnare Theodorum, oriundû e Pharam, Cyrum, Alexandrinû, Honorîû Romanû, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantinopolitanos. Idem factum est in septima Synodo, quæ est Nicena secunda actione ultima. Et Leo Secundus Papa Romanus in Epistola, qua Synodum sextam cõfirmavit, anathematizat Honorium his verbis: *Anathematizamus nec non & Honorium, qui banc Apostolicam Ecclesiam non Apostolica traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione fidem immediatam subvertere conatus est.* Similiter in Synodo octava generali, Actione septima, in collatione tertia Adriani Secundi Papæ Romani ad Synodum dicitur: *Honorio Papæ Romano post mortem ab orientalibus Episcopis anathema dictum, præcedente consensu primæ sedis Pontificis, scilicet Agathonis, ut citatur Tomo 3. Conciliorum pag. 533. Johannes quoque vigesimus secundus Papa hæreticus fuit, teste Adriano Florentino in quartum sententiarum de Sacramento confirmationis, artic. 3. Item Johanne Gersone sermone de Paschate in 4. Tom. Alphonso quoq; de Castro contra hæreses lib. 3. de beatitudine hæres. 6. Item Petro Aurato**

*parad. II. Imò ipso Bellarmino de Pontifice Romano lib. 4. c. 4. & Ecclesia triumphante lib. 1. c. 1. Göbelio quoq; qui eodem vixit tempore Cosmodeonii ætate sexta cap. 76. & tandem Aventino annalium lib. 7.*

**XX.** Quæ cum sic sufficienter sint refutata, per se liquet, quid de quarto & ultimo argumento sit statuendum. Cum enim antecedens falsum sit, consequentia quoque nulla arguitur, nempe quod nulla necessitate vel ratione probabili inferatur, *Pontifici Romano simpliciter esse adhærendum, adeò ut ab ejus sententia non liceat ulterius provocare.* Aliàs nota, sunt pulchra verba Hieronymi: *Nec altera Romanae urbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Gallia & Britannia, & Persis, & Africa & Oriens & India & omnes Barbaræ nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si autoritas queritur, Orbis major est, quam Urbis.*

**XXI.** Pergit Becanus in Manualis adhuc eodem Paragrapho: in politica verò ecclesiastica §. 25. *Et Basilii magnus in Epistola data Sabino Diacono, ad Pontificem Romanum, Revera dignum est illa excellentissima voce, quâ te beatum prædicavit, quod pietati tuæ donatum à Domino est, scilicet, ut quod adulterinum est, à legitimo ac puro discernas ac fidem patrum sine subtractione ullâ prædices.* Alludit ad illud, quod Petro dictum est, *Beatus es Simon Barjona, quia caro ac sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui est in cælis. Quod etiam Pontifici Petri successori, dictum esse interpretatur. Et rectè. Nam sicut ad illam fidei quæstionem; Vos autem quem me esse dicitis? Petrus ex peculiari Dei revelatione respondit: Tu es Christus filius Dei vivi: ita ad similes fidei quæstiones, successor Petri, ex peculiari Dei assistentia, debet respondere.*

**XXII.** Sit ita alludere Basilium ad illud, quod Petro dictum est: *Beatus, Simon Barjona &c.* nū quid indè inferendū? Ergò successores Petri mansuri sunt in illa fide, ut illis simpliciter adhærendum sit, qui in fide non vult errare. Sic concludit argumentum: *Qui Petri sunt successores, illi de articulis & negotiis fidei interrogati, debent respondere, ut Petrus respondit, nempe verè & orthodoxè: Atqui Pontifices Romani sunt Petri successores:*

cessores: Ergò Pontifices Romani de fide interrogati debent respon-  
dere, ut Petrus respondit, nempe verè & orthodoxè. Respondemus  
ad Minorem, quod hæctenus demonstratum; nempe Pontifi-  
cem Romanum non esse Petri successorem. Deinde ad Ma-  
jorem: à jure ad factum non valet consequentia. Nam ipse-  
met Petrus licet interrogatus, debuisset semper Christum pro-  
fiteri: non verò fecit, sed quem hic profiteretur esse filium Dei  
vivi; illum abnegavit, & se hominem non novisse juravit:  
*Matth. 26. v. 69. & seqq. Marc. 14. v. 67. & seqq.* Basilium in spe-  
cie quod attinet; Loquitur is de Ecclesia Romana tum tem-  
poris orthodoxâ, & celeberrima: quantum verò hodierna  
mutata ab illa, & ejus tum Episcopo!

XXIII. Porro adducit Beccanus auctoritatem Cyrilli  
in Manuali in eodem paragr. de Republ. Christian. §. 26. *Es*  
*Cyrillus Alexandrinus in Epist. ad Cælestinum Papam: Quoniam v.*  
*Deus bisce in rebus prudentiã à nobis exigit, longaq; ecclesiarum con-*  
*suetudo suadet, ut istiusmodi sanctitati tua cõmunicentur, non possumus*  
*equidem id, quod apertum est, ad pietatem tuam non perscribere.*  
*Et paulò post: Quamvis hæc ita se habeant, non prius tamen Ne-*  
*storii communionem confidenter deserere ausi sumus, quam hæc*  
*ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hic sentias, de-*  
*clarare: quò liquidò nobis constet, an communicare cum Nestorio nos*  
*oporteat: an verò liberè ei denunciare, neminem cum eo communica-*  
*re, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat. Porro tua*  
*integritatis mens, ac super hæc re sententia, non modo piissimis*  
*Deoq; devotissimis Mæcedoniæ Episcopis, sed totius quoq; Orientalis*  
*Antistitibus, perspicuè per literas exponi debet. Hic apparet, totam*  
*Ecclesiam Orientalem, tanti fecisse Romanum Pontificem, ut in rebus*  
*fidei, nihil, nisi ex ipsius decisione, statuendum esse existimarent.*

XXIV. Sed quæ est consequentia: Ecclesia Orientalis  
tanti fecit Romanum Pontificem tempore Cælestini Papa, ut hunc ho-  
norem ipsi habuerit, ut sine ipsius sententia & consensu in rebus fidei  
nihil definire voluerit: Ergò appellavit ad Pontificem Romanum, &  
simpliciter illi adharendum esse statuit. Nescit distinguere Je-

suita inter honoris & propriæ quoque conscientiæ causam, quod & eò meliùs postmodum contra malevolos & iniqua iudicia nos defendere queamus, consensum alicujus primarii & in maxima existimatione constituti Episcopi, vel etiam Ecclesiæ sententiam & consensum petere: & deinde illum ipsum Episcopum pro Monarcha ac Primæte, habente jurisdictionem in universam Ecclesiam, cujus iudicio ac sententia simpliciter standum & quiescendum sit, agnoscere. Illud fecit Cyprianus; hoc non: hoc est consensum & iudicium Romani Pontificis requisivit, quod tum temporis Episcopi Romani non tantum celebres, & notissimi propter Romanam urbem, quæ sedes Romani imperii erat: Sed etiam quia orthodoxi & sinceri erant in fide Apostolica: Minimè eum in finem, quod in Episcopo Romano tam superciliosum privilegium agnosceret: quippe qui aliàs disertè scribit *non esse minoris autoritatis Episcopos Africa.*

XXV. Scimus, quid objiciat Bellarminus, illud *Minoris*, non referre comparationem ad Romanos Pontifices, sed ad causam Fortunati & Felicissimi, de qua tunc agebatur; & esse sensum, *Episcopos Africa non fuisse minoris autoritatis, quàm sufficeret ad eam causam iudicandam.* Sed si contextus rectè introspectatur, palam est, comparari Episcopos Africa Episcopis iis, ad quos Fortunatus & Felicissimus aufugissent: etsi modestiæ causâ noluerit eam comparationem Cyprianus perficere. Quandoquidem eorum, à quibus appellatur, necesse est auctoritatem minorem esse, quàm ejus, ad quem appellatur. Adde, quod Cyprianus non simpliciter agat de iudicanda causâ, sed de terminandâ, nec de primo iudicio facièndo, sed de secundo non admittendo ab alienis iudicibus. Quare non elabatur Bellarminus. Si enim Africanorum tanta est auctoritas, quanta satis erit causæ Fortunati & Felicissimi terminandæ, tùm non debuit Romam appellari. Atque sic certum est, à Cypriano improbatas esse istas appellationes. Quid? quod ibidem seipsum satis explicet Cyprianus:

*Opor.*



Oportet reos agere illic causam suam, ubi & accusatores habere & testes sui criminis possint.

XXVI. Et si hæc fuerit Cypriani sententia, simpliciter adhaerendum esse Ecclesiae & Pontifici Romano: qui ergo factum, quod Anabaptismi tuebatur errorem contra Stephanum Episcopum Romanum, scripta nominatim adversus eum Epistola ad Pompeium, quam Pamelius optaret nusquam extare, quæ ex professo Epistolam Stephani refutabat, & quidem stylo acri & objurgatorio, ut paulò post videbimus. De eo tamen Augustinus sic lib. 5. contra Donatistas cap. 25. *Jam illa, quæ contra Stephanum irritatus effudit, retrahere nolo: quia & opus non est, eadem quippe ipsa dicuntur, quæ jam satis discussa sunt, & ea præterire melius est quæ periculum perniciose dissensionis habuerunt. Stephanus autem & abstinendos putaverat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur. Iste autem questionis illius difficultate permotus, & sanctis charitatis visceribus largissimè præditus, in unitate eis manendum, qui diversa sentirent. Ita quamvis commotus, sed tamen fraternè indignatur. Vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali discrepatione nullum inter eos malum scismatis oriretur.*

XXVII. Nota, commotionem, sed fraternam tamen indignationem. Significat ergo Augustinus, Cyprianum egisse cum Stephano, non ut cum Principe aut cum Domino, aut denique œcumenico Episcopo, à quo sine errore dissentiri non possit: Sed ut cum fratre, à quo non tantum dissentire, sed etiam vehementer dissentire, imò non id tantum, sed etiam indignari sine omni absurditate vel incommodo sibi liceret. En hæc de re tanti momenti Augustini sententia & quidem in libro, quem Pontifici Romano inscripsit, cujus observantissimum fuisse negari non debet. Certum ergo est, credidisse Cyprianum, etiamsi à Romano Episcopo discreparet, imò verò ipsum acriter ac publicè increparet, non tamen discessisse ab unitate Ecclesiae quantumvis Romanus

nus

nus decrevisset abstinendos, qui cum Cypriano facerent. Profectò si Pontificis Romani iudicium illo tempore extisisset summum, ut ejus arbitrio componendæ fuissent omnes de religione controversiæ, quis credet, eum non fuisse excommunicatum, & ab Ecclesia alienum, in quem illam non tulisset sententiam? Sed nimirum nondum erat nata Tyrannis. Scimus quæ hic objicit Bellarminus, sed futilia sunt & responsione indigna.

XXIIX. Pergit Becanus ibidem in Manual. sed in lib. 3. de Republ. Christ. cap. 4. §. 27. & 28. *Et Maximinianus Constantinopolitanus Episcopus in Epist. ad Orientales: Omnes fines terrarum, qui Dominum sincerè receperunt, & ubiq; terrarum Catholici veram fidem confitentes, in potestatem Romanorum Pontificum, tanquam in solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicae & Apostolicæ fidei recipiunt. Nec immeritò, quia Petrus legitur primò perfectam fidem esse confessus, Domino revelante, cum dixit: Tu es Christus filius Dei vivi. Et infra: Hunc enim de cæteris mortalibus ex toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui Cathedram Magisterii principaliter possidendam tenere; perpetuo privilegii jure concessit: ut quisquis divinum aliquid aut profundum nosse desiderat, ad hujus præceptionis oraculum doctrinamq; recurrat: Nota perpetuo privilegii jure.*

XXIX. Novimus nonnullos Patres exaggerationibus usos fuisse, id quod fecit & hic Maximinianus. Loquitur autem de splendore Romanæ Ecclesiæ, quem tum & ratione amplitudinis habebat, piè etiam semper retinere debebat; an autem retinuerit posterioribus sæculis, id neque dixit Maximinianus, neque dicere potuit. Quid? quod non tantum ejusmodi honoris tituli dati sint Ecclesiæ Romanæ, sed etiam aliis. Nam Gregorius Nazianzenus, qui circa annum Christi trecentesimo sexagesimo nono, & sic sexaginta tribus annis ante Maximinianum. (Hic n. circa annum Christi 436. Episcopus Constantinopolitanus ordinatus est) floruit, ad Cæsarienses Epist. 30. in tom. 4. operum Basilii Magni sic scribit: *Cujuslibet Ecclesiæ, tanquã corporis Christi, habenda est ratio, maxime v. nostra*

nostra Cæsariensem intelligit) Quæ ab initio fuit & nunc est mater  
 propè omnium Ecclesiarum. Eam Respubl. Christiana velut centrum  
 suum Circulus undiq; observat, non solum propter orthodoxam do-  
 ctrinam, ubiq; ab initio prædicatam: Sed etiam propter conspicu-  
 am Concordiæ gratiam, quam divinitus accepit. Et de Ecclesia  
 Constantinopolitana Justinianus Imperator in leg. 24. Cod.  
 de sacrosanctis Ecclesiis: ἡ ἐν Κωνσταντινοπόλει Εκκλησία πάν-  
 των τῶν ἄλλων ἐστὶ κεφαλή. Constantinopolitana Ecclesia omni-  
 um aliarum est Caput. Et Zenonis Imperatoris constitutio est  
 in codice Justiniano l. decernimus. 16. Cod. de Sacrosanctis  
 Ecclesiis: Sacrosanctam quoq; hujus religiosissimæ civitatis (Constan-  
 tinopolin intelligit) & matrem nostræ pietatis & Christianorum or-  
 thodoxæ religionis omnium, & ejusdem regis urbis sanctissimam se-  
 dem, Privilegiis & honores omnes super Episcoporum creationibus,  
 & jure ante alios residenti & cætera omnia, quæ ante nostrum impe-  
 rium vel nobis imperantibus habuisse dignoscitur, habere in perpetu-  
 um firmiter, & Regis urbis intuitu sancimus.

XXX. Hæc conferat Becanus cum Maximiniani ver-  
 bis, & dicat nobis, num plus illis Romanæ, an contra plus  
 his Constantinopolitanæ tribuatur ecclesiæ. Adde, quod Ca-  
 non initio conceptus in secundo Oecumenico Constantino-  
 politano concilio, & deinceps confirmatus in Chalcedonen-  
 si, obnixè contra laborantibus legatis Romanis, actione ul-  
 tima, Episcopum Constantinopolitanum, factum in Patriar-  
 charum ordine secundum, æquavit, in Ecclesiasticis rebus,  
 Romano.

XXXI. Tandem addit Augustini autoritatem ibidem  
 in Manuali: & in Repub. Eccles. loco all. § 28. Et Augustinus  
 lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium Pontificem  
 Cap. 1. Hæc a. quæ duabus Epistolis eorum respondeo, ad tuam potis-  
 simum dirigere sanctitatem, nō tam discenda, quam examinanda, &  
 ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui. Verba cla-  
 ra sunt. Similia habent Theodoretus in Epist. ad Leonem Papam,  
 Sozomenus lib. 6. Histor. Cap. 22. & alij passim.

C. XXXII. Sed

**XXXII.** Sed quæ est ratio Consequentiæ: Augustinus ea, quæ duabus Epistolis respondet Pelagianis, honoris & reverentiæ ergò subjecit Pontifici Romano examinanda & emendanda: Ergò qui in fide non vult errare, debet adherere Ecclesiæ & Pontifici Romano, ipsumq; pro summo Capite & Pastore universalis Ecclesiæ agnoscere. Sanè inde non potest concludi, id Augustinum istam ob Caussam fecisse: Cum fecerit tantum (ut diximus) honoris & reverentiæ ergò. Quæ verò Reverentiæ causa fiunt: Illa non statim arguunt agnitionem imperii & jurisdictionis in eo, cui reverentia & honor exhibetur & defertur. Ergò multò minus inde colligatur necessum esse, ut tota Ecclesia in fidei negotiis adhereret Pontifici Romano, & illum pro summo capite universalis Ecclesiæ agnoscat.

**XXXIII.** Sequitur in lib. 3. Cap. 4. § 29. Quartum privilegium, quod in Manuali d. l. § 69. tertium est. Sic enim hic pergit Becanus: *Tertium privilegium est, quod nihil grave in Ecclesia universali, nisi consulto prius ac consentiente Pontifice, possit tractari, decerni, ac definiri. Hoc quidem concedunt aliqui ex adversariis, sed non eo sensu, quo nos. Nam nos dicimus hujusmodi decreta vel decisiones, quæ fiunt pro tota Ecclesia, non habere vim ac robur, nisi accedat consensus Pontificis. Adversarij asserunt habere quidem robur sine consensu Pontificis, sed tamen plus roboris ex consensu illius accedere.*

**XXXIV.** Sic ergo vult argumentari Jesuita: Sine quo non consulto prius, & consentiente, nihil grave in Ecclesia universali potest tractari, decerni ac definiri; ille est Caput & Monarcha totius Ecclesiæ: Atqui Pontifex Romanus est is, sine quo non prius consulto & consentiente nihil grave in Ecclesia universali potest tractari, decerni ac definiri: Ergo Pontifex Romanus est Caput & Monarcha totius Ecclesiæ. Minorem dicit Becanus nonnullos concedere. Concedant, qui velint, nos nullo modo eam concedendam esse statuimus, ac defendimus.

**XXXV.** Probat autem illam autoritate Patrum: & primum allegat Socratem. *Socrates. libr. 2. histor. Cap. 5. Nec  
Julio*

Julius Roma Episcopus in Concilio adfuit, neq; quonquam, qui ejus locum suppleret, eo misit, cum utiq; Ecclesiasticus Canon jubeat, non oportere absq; Romani Pontificis sententia, Decreta Ecclesiis sancire. Loquitur de Concilio Antiocheno, quod contra Athanasium celebratum est, sed sine robore & autoritate, quia defuit Consensus Pontificis.

**XXXVI.** Etiam si nos minimè lateat, supinà diaboli malitià factum esse, ut una cum bona causa Athanasij, Romani Pontifices simul & semel maledictum illum primatum quaesiverint: illum tamen vel à Socrate vel à Sozomeno vel alio ex antiquissimis probatum esse, concedere non possumus. Hic ergo primùm notandum est, quod non tantum dicat Socrates abfuisse Episcopum Romanum: Sed etiam quod tantum ex diversis Civitatibus (non regionibus & regnis) Episcopi nonaginta convenerint & Hierosolymitanorum quoq; Episcopus abfuerit: Sic enim habent præcedentià verba, *In isto concilio Episcopi nonaginta ex diversis civitatibus convenerunt. Verum Maximus Hierosolymorum Episcopus, qui Macario successerat, ad illud neutiquam accessit: ratus, Si accessisset, se compulsum iri Athanasij abdicationi subscribere. Quin etiam Julius Romanus Episcopus neutiquam aderat: nec quemquam, qui ejus locum suppleret: & quæ sequuntur.* Manifestum ergo est, voluisse Socratem probare, Concilium id illegitimum fuisse 1. propter Episcoporum paucitatem. 2. quod primarij Episcopi, Hierosolymitanus & Romanus, non interfuerint, neq; illius decreta probaverint.

**XXXVII.** Quare hæc autoritas non simpliciter Minorem Syllogismi Becani probat. Nam etiam si addatur, quod Canon jubeat, *requiri ad decreta sancienda Romani Episcopi sententiam:* inde tamen non infertur: Episcopum Romanum esse caput & Monarcham Ecclesiæ, cum id propterea factum fuerit, quod primum locum haberet in concilijs, & ejus autoritas esset maxima, non quidem propter potestatem Monarchicam, sed propter dignitatem & primatum ordinis, quo fiebat, ut omnibus præferretur. Quare etiam hic ipse Socrates eodem libro secundo cap. 11. *Ἐπεὶ οὐκ ἔστιν ἐπισημὰ ἀπαιτῆσαι τὸν Ῥωμαῖον ἐπίσκοπον.* appellat. Requirebatur

batur igitur ejus sententia, tanquam consentientis, non vero tanquam imperantis, vel etiam tanquam alicujus Regis, qui solus majestatica autoritate & confirmatione decretum faceret validum & authenticum.

XXXVIII. Addit Sozomeni autoritatem: Sozomenus lib. 3. cap. 7. Athanasius fugiens Alexandria, Romam adventavit. Eodem tempore Paulus etiam Constantinopolitanus Episcopus forte illo accessit, & Marcellus quoque Episcopus Ancyræ & Asclepias Gaza Episcopus: qui cum doctrinæ Arrianæ adversaretur, in crimen vocatus est ab Arrianis quibusdam, quod altare everterit, & fuerit propterea abdicatus. Ejus locum in Ecclesia Gaza administrandâ obtinuit Quintinianus, itemque Lucius Episcopus Adrianopolis, ab alijs accusatus, sua, quam regebat, Ecclesia spoliatus, Romæ etatem degit. Quorum criminationes, cum Episcopus Romanus intellexisset, & omnes fidei concilij Nizeni consentientes reperisset, in communionem recepit. At cum propter sedis dignitatem, cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit, scripsitque ad Episcopos Orientis, eosque incusavit, quod inconsulto de hisce viris judicassent, Ecclesiasque perturbassent.

XXXIX. In allegatâ illâ Sozomeni sententiâ tria potissimum urgere opinor Becanum: 1. quod tribuatur Pontifici Romano Sedis dignitas. 2. quod ad illum propter illam omnium cura spectet: 3. quod singulis suam Ecclesiam restituat.

XL. Verum per sedis dignitatem, nulla intelligitur alia, quam dignitas ordinis, quo fiebat, ut Romana sedes omnibus alijs præferretur. Deinde quod additur Curam omnium ad Romanum Pontificem spectare, non est intelligendum de illâ curâ, quam Papani sibi imaginantur, & Papæ tribuunt; Sed ista, quam Leo describit Epist. 32. ad Marcianum & Faustum Presbyteros: *Ut quantam curam totius Ecclesie habeamus, appareat, hortando scilicet omnium fidelium mentes & clementissimorum Principum præsidia ad defensionem fidei postulando.* Sic Celestinus ad Constantinopolitanos, in acta Concilij Ephesini facto initio ab illo Pauli loco, quo sibi dicit omnium curam incumbere, scribit: *Similiter & nos, quamvis pro-*

cus

ent dissi. ut cognitum hic habuimus, peruersitate doctrine nostra  
membra distrabi, paterna cura pro vobis amburente, alieno igne ar-  
simus. Quare Romanus Episcopus testatur, se ita res Constan-  
tinopolitanas curare, quomodo, qui alieno incendio affi-  
ciatur; hoc est, non ex jure potestatis, sed ex communiōe ca-  
ritatis.

XL I. Adde, quod Sidonius etiam Lupo Hierosolymita-  
no omnium Ecclesiarum curam eodem modo tribuat, lib. 6.  
Epist. 1. sic scribens: *Benedictus Spiritus Sanctus & Pater Dei omni-  
potentis, quod tu Pater Patrum, & Episcopus Episcoporum, & alter  
seculi tui Jacobus, de quadam Specula Charitatis, nec de inferiore Hi-  
erusalem, tota Ecclesie Dei nostri membra superinspicis: dignus, qui  
omnes consoles infirmos, quiq; merito consulens ab omnibus. Hic verò  
Oecumenicus Episcopus non fuit.*

XLII. Liquet ergò, Sozomenum nihil aliud dicere,  
quam Episcopum Romanum decuisse curam gerere, ut primū  
omnium Episcoporum. Nam tametsi omnibus Episcopis  
communis Ecclesie universae cura esse debeat; illorum nihi-  
lominus, qui sunt dignitate illustriores, in eadem cura partes  
merito sint majores.

XLIII. Tertium quoq; nempe *Episcopum Romanum sin-  
gulis suam Ecclesiam restituisse*, non habet magnam difficultatem.  
Decipit enim Becanus tum seipsum tum alios fallaciā Phra-  
seos. Quando quidem illa non significatur Pontificem Roma-  
num absoluta sua potestate contra decretum Episcoporum  
Orientalium Athanasium & cæteros Orthodoxos Episcopos  
in suos Episcopatus iatroduxisse, restituisse, ac de novo con-  
firmasse: Sed hic est sensus, *Athanasium & cæteros Episcopos,  
quamvis essent ab adversariis depositi, à Romano Episcopo pro veris Epi-  
scopis fuisse agnitos.* Nam quod Phrasis hæc non significet resti-  
tutionem realem, inde certum est. Nam, licet Sozomenus te-  
stetur, Athanasium à Julio in Communionem esse receptum,  
una cum Paulo Constantinopolitano, Marcello Ancyrano, A-  
sclopa Gazæ, Lucio Adriano-politano, & restitutas ipsis Ec-  
clesias, literasq; ad Orientales scriptas, quibus accusabantur,  
quod non rectè judicassent & Ecclesias perturbassent: non ta-

men Athanasius & cæteri ab Orientalibus istis, ut ut admoni-  
tis, sunt recepti: quin potius graviter increparunt Julium, atq;  
adeò necessum fuit, Athanasium Romam ingredi: ac tandem  
cum animaverteret Julius, se literis apud Orientales Episco-  
pos nihil promovere, causam detulit ad Constantem Impera-  
torem, teste hoc ipso *Sozomeno lib. 3. Cap. 9.* Constans a. Impera-  
tor scriptis literis ad Constantinum fratrem, quibus ei bellum  
minatur, nisi eos reciperet, effecit, ut restitueretur Athanasius  
Alexandrinus. Constat ergò ex eodem Sozomeno privilegi-  
um illud Papæ fictitium esse.

XLIV. Tertia autoritas, quam Becanus adducit, est The-  
odoreti *lib. 2. histor. Cap. 22.* Numerus Episcoporum, qui erant Arrimini  
congregati, præjudicij vim habere non debet: Præsertim cum formula  
composita sit neq; Episcopo Romano, cujus sententia præ cæteris omnibus  
expectanda erat &c. Committit fallaciam divisionis Jesuita. Sic  
n. pergit Theodoretus: Neq; Episcopo Romano, cujus sententia præ  
cæteris omnibus expectanda erat: neq; Vincentio, qui tot annis Episcopa-  
tum integre gesserat, neq; alii eidem consentientibus: eumq; etiam (quod  
est omnium maximum) illi ipsi, qui in fraudem illecti, à veritate defecis-  
se visi sunt, & post ad meliorem mentem denuò traducti, planè testentur,  
hanc formulam sibi magnoperè displicere. Ut sic satis appareat, hic  
non tantum agi de sententia Romani Pontificis, sed etiam a-  
liorum. Cur autè dicatur, quod cum primis Romani Episcopi  
sententia requiratur, id sæpius dictum est.

XLV. Concilium Chalcedonense quoq; allegat: Et inquit  
Becanus, *Concilium Chalcedonense act. 1.* statim ab initio, post recensita  
nomina eorum, qui interfuerunt: Paschasius verò Reverendissimus E-  
piscopus & Vicarius sedis Apostolica cum in medio una cum his viris reve-  
rendissimis Collegis suis stetisset, dixit: Beatissimi atq; Apostolici viri,  
Papæ urbi Roma, quæ est Caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus  
præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus  
Alexandrinorum Episcopus non sedeat in Concilio, & audiendus intro-  
mittatur. Quod nos observare necesse est. Et infra: Quia cum Per-  
sonam judicandi non haberet, præsumsit & Synodum ausus est facere,  
sine autoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam fa-  
ctum



Sum est. Et Act. 18. in Relatione s. Synodi ad Leonem Papam Paulò post medium: Hæc sunt, quæ tecum, qui Spiritu præsens eras, effecimus. Indicamus verò, quia & alia quedam pro rerum ipsarum ordinata quiete & propter Ecclesiasticorum statutorum firmitatem definimus, scientes quia & vestra Sanctitas, eadem probatura & confirmatura est. Et circa finem: Rogamus igitur & tui decreti nostrum honora iudicium, & sicut nos Capiti in bonis adjesimus consonantiam, sic & summitas tua filius, quod decet, adimpleat. Hæc petunt Patres Concilij, ut quæ ipsi communi consensu in Concilio generali statuerunt, à Pontifice confirmentur, & robur accipiant.

XLVI. Respondemus falsissimum esse, proindeque maximum mendacium, Patres Chalcedonensis Concilij confirmationem à Romano Pontifice petivisse. Certum est 1. Concilium hoc fuisse Oecumenicum. 2. tribuisse illud parem auctoritatem Episcopo Constantinopolitano cum Romano Act. 15. Canon: 28. frustra Romani Pontificis legatis repugnantibus. 3. Cum in actione 16. Paschasius & Lucentius, Pontificis Romani legati, petiissent, ut decretum istud rescinderetur, non potuisse impetrare, sed responsum esse à Patribus Concilij: neque in occulto gestum est, neque modo furtim sunt gesta, consequenter at Canonicè facta. Tom. 2. Concil. pag. 208. 4. Cum Lucentius objecisset, Episcopos ad subscriptionem istius Canonis coactos, clamasse omnes Episcopos: Nemo coactus est: Singulosque postea pro se testatos esse. 5. Post multa Patres dixisse: Hæc iusta sententia, hæc omnes dicimus, hæc omnibus placent, hoc iustum decretum. Quæ constituta sunt, valent, hæc iusta sententia. Omnia ordinate decreta sunt. 6. Tandem illusterrimos iudices dixisse: Quod interlocuti sumus, tota Synodus approbavit. Atq; sic Concilium hoc decretum fecit, illud constanter & unanimiter approbavit & confirmavit, frustra renitentibus Legatis Romani Pontificis, frustra reclamante ipso Papa Leone.

XLVII. Accuratè ergò distinguenda hæc sunt verba decreti Synodi Chalcedonensis à Paschasini & Lucentij, legatorum Episcopi Romani, sententia. Rectè enim Justinianus Imperator in edicto de fide Orthodoxa: Sæpè quedam in:  
Syno-

*Synodis dicuntur à quibusdam presentibus, vel per favorem, vel per odium vel per imprudentiam. Nemo autem attendit ea, quæ particulatim à quibusdam dicuntur: Sed sola illa, quæ ab omnibus Communi consensu definiuntur. Adhuc ergò dicimus & repetimus, impudens Becani mendacium esse, quando dicit, Patres hujus Concilij à Pontifice Romano confirmationem, ut robur acciperet, petiisse. Adhortantur Papam ad consensum, non petunt confirmationem, qua robur decreto ipsorum addat. Quibus ipsis refutata quoque sunt, quæ de hoc Concilio respondet Becanus lib. 3. de Republ. Christ. cap. 5. §. 27.*

*XLVII. Pergit Jesuita ad Anastasium: Anastasius (inquit) Hierosolymitanus Patriarcha, in Epistol. ad felicem Papam: Fuit semper Apostolica Sedis vestrae licentia, injustè damnatos vel excommunicatos, potestatis suæ autoritate restituere, & sua omnia eis reddere; & eos, qui eos condemnarunt aut excommunicarunt Apostolico punire privilegio: Sicut etiam nostris, & anterioribus novimus factum temporibus, &c. Antiquis regulis sancitum est, ut quicquid quamvis in remotis provinciis super eorum querelis aut excusationibus ageretur, non prius tractandum vel accipiendum esset, quàm ad notitiam almæ Sedis vestrae esset deductum, ut hujus auctoritate, juxta quod fuisset faciendum, infirmaretur, aut firmaretur.*

*XLIX. Anastasij hujus autoritas nobis non incommodat, quippe qui verbis illis suam potius significavit modestiam, quam autoritatem ac potestatem Romani Pontificis. Tunc exemplum est singulare ac privatum, cui oppono publicum jam allegati Concilij Chalcedonensis, nec non Sexti Oecumenici Constantinopolitani, in quo contra Episcopum Romanum & contra Romanæ Ecclesiæ praxin decreta sunt facta. In Canone n. trigesimo sexto superius decretum Concilij Chalcedonensis est confirmatum, ut legere est tomo secundo Conciliorum, edit: Coloniensis pag. 1046. Canone decimo tertio, expressis verbis Canon Ecclesiæ Romanæ abrogatur; quo presbyteri & Diaconi à legitimo conjugio arcentur, statuiturq; presbyteros & Diaconos nō esse à legitimis nuptiis prohibendos. Atq; hic Sextæ Synodi Canon citatur in jure Canonico, distinctione trigesima prima, Capitulo, Quoniam. Canone etiam quinquagesimo quinto Romanæ*

*manæ*

manæ Ecclesiæ jejuniū reprehenditur & prohibetur. Plura paulò post videbimus.

L. Concilium Millevitanum c. 22. *Presbyteri, Diaconi, vel ceteri inferiores Clerici in causis, quas habuerunt, si de iudiciis Episcoporum suorum conquesti fuerint, vicini Episcopi audiant, & inter eos, quicquid est, finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si ab eis provocandum putarint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primate provinciarum suarum; ad transmarina autem, qui putaverunt appellandum, à nullo intra Africam in communionem recipiantur.* Idem iteratum est in Concilio Africano cap. 92. Et 2. qu. 6. c. placuit. Papæ Legatus hoc ipsum subscriptione comprobavit. Ex quibus constat, quàm vera sit thesis Becani, *nihil in Ecclesia universali grave, nisi consulto prius ac consentiente Pontifice, posse tractari.* Cum multoties non tantum non consensum ipsius requisiverint Ecclesiæ orthodoxæ, sed planè repudiaverint, imò decreta ipsius damnaverint & rejecerint.

L I. Sequitur nunc apud Becanum Augustinus, Ambrosius, & Prosper. *Et Augustinus, inquit, cum aliis Episcopis Concilii Carthaginensis Epist. 90. ad Innocentium Papam: Hoc itaq; gestum, Domine frater Sancte, charitati tue intimandum duximus, ut statuti nostræ mediocritatis, etiam Apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, & quorundam perversitate etiam corrigenda.*

L II. Verba etiam in Epistola Augustini sunt modestiæ, Patres Carthaginenses, quibus assedit Augustinus, Pontificem Romanum ad consensum adhortantur & à dissensu dehortantur: nullum verò in ipso recognoscunt privilegium. Et in specie de Augustino notetur, cum in Concilio de tractandis presbyterorum & Diaconorum causis apud finitimos Episcopos recitaretur Canon Sardicensis, dixit Augustinus: *Et hoc nos servaturos profiteamur, salva diligentiore inquisitione Niceni Concilii.* Quibus sanè verbis nihil omninò defertur iudicio Romani Episcopi. Eodem modo & Ambrosius Episcopi Romani assensum exoptat, tanquam fratris, non tanquam superioris & Monarchæ: & quid consensum illum sit insecu-

D

tum,

tum; Prosper in Chronicis docet, nempe quod Synodalibus illis decretis probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata sit. Hunc ergò in finem, nempe ut in toto mundo hæresis ista damnaretur, consensus quoque Romani Episcopi est requisitus: non propter singulare ejus privilegium, quod totius Ecclesie Monarcha esset.

LIII. Tandem suum institutum ratione probare conatur in Manuali §. 70. sed lib. 3. de Repub. Chr. c. 4. §. 39. *Accedit efficacissima Ratio, quia Pontifex habet curam & gubernationem totius Ecclesie, ut supra dixi: sicut Rex totius regni, aut Imperator totius Imperii, quisque in suo genere: At nemo potest facere efficax decretum pro toto regno aut imperio, nisi consentiente Rege, aut Imperatore: Ergò similiter nemo potest facere efficax Decretum pro tota Ecclesia, nisi consentiente Pontifice. Hæc tamen duo distinguenda sunt; Primò, facere efficax decretum pro tota Ecclesia. Hoc nemo potest sine expresso consensu Pontificis. Secundò, facere efficax decretum pro hac aut illa Ecclesia particulari. Hoc potest Episcopus hujus, aut illius Ecclesie particularis sine expresso consensu Pontificis; modò decretum in se bonum sit, & Pontifex rationabiliter non repugnet.*

LIV. Argumentum hoc in formam Syllogisticam resolutum concludit hunc in modum: Qui ita curam habet & gubernationem totius Ecclesie, sicut Rex totius regni, aut Imperator totius imperii; sine illo consentiente nemo potest efficax decretum facere pro tota Ecclesia: Atqui Pontifex Romanus ita curam habet & gubernationem totius Ecclesie, sicut Rex totius regni, &c. Ergo sine consentiente Pontifice Romano nemo potest efficax decretum facere pro tota Ecclesia, & per consequens, Pontifex Romanus est caput totius Ecclesie.

L.V. Respondemus ad Minorem negando: Ut enim nemo hominum ita potest esse caput Ecclesie, ut Rex est caput Regni, aut Imperator Imperii: Sic neque Papa Romanus ejusmodi Caput censendum est. Cyprianus tantum abest, ut decreta Pontificia pro infallibilibus habeat, & nihil

finis

sine ipsius consensu decernendum, statuendumve censeat,  
 sicq; pro capite universae Ecclesiae agnoscat, ut aperte contra  
 Episcopum Romanum Stephanum & eius decisiones dispuret,  
 illas refutet, & plane rejiciat, idq; non sine quadam vehemen-  
 tia Epist. 75. Ibi n. statim ab initio §. 2. in humanitatis, audaciae  
 & insolentiae ipsum accusat, & cum Juda proditore comparat, sic  
 scribens: *Gratiam referre Stephano in isto possumus: quod per illius hu-  
 manitatem nunc effectum sit, ut fidei & sapientiae vestrae experimentum  
 caperemus. Sed si nos propter Stephanum hanc beneficii gratiam ac-  
 cepimus, statim Stephanus beneficio & gratia digna commisit. Neque n.  
 & Judas perfidia sua & prodicione, qua scelerate circa Salvatorem  
 operatus est, dignus videri potest, quasi causam bonorum tantorum  
 ipso praestiterit, ut per illum mundus & gentium populus liberaretur,  
 sed haec interim, quae à Stephano gesta sunt, praeferantur, nedum au-  
 dacia & insolentiae ejus meminimus, de rebus ab eo improbe gestis lon-  
 gioris molestiam nobis inferamus. &c. Et § 5. Quod nunc Ste-  
 phanus ausus est facere, rumpens adversum vos pacem, quam semper ante-  
 cessores ejus vobiscum amore & honore mutuo custodiverunt: adhuc  
 etiã infamans Petrum & Paulum beatos Apostolos, quasi hoc ipsum tradi-  
 derint. Et § 15. Stultitiae accusat: Atq; ego in hac parte, justè indignor ad  
 hanc rem apertam & manifestam Stephani stultitiam, quod qui sic de Episco-  
 patus sui loco gloriatur, & si successionem Petri tenere contendit, su-  
 per quam fundamenta Ecclesiae collocata sunt, multas alias petras in-  
 ducat & Ecclesiarum multarum nova aedificia constituat. Et mox: Ju-  
 daos tamen, quamvis ignorantia cecos & gravissimo facinore constri-  
 ctos, Zelum Dei Apostolus habere profitetur: Stephanus, qui per suc-  
 cessionem Petri cathedram habere se praedicat, nullo adversus hereti-  
 cos Zelo excitatur. §. 20. Et non pudet Stephanum hoc asserere ut per  
 eos, qui ipsi in omnibus peccatis sunt constituti, dicat &c. Et rursus  
 sub finem hujus Epistolae §. 22. Et tamen non pudet Stephanum ta-  
 libus adversus Ecclesiam patrocinium praestare, & propter hereticos af-  
 ferendos fraternitatem scindere.*

LVI. Ex ultimis hisce verbis patet, vehementiam Epi-  
 stolae Stephani in causa fuisse, cur tam vehementer etiam con-  
 tra eum scripserint Cyprianus Episcopus Carthaginensis &

Firmilianus Cæsareæ Cappadocum Episcopus, teste Eusebio & Nicephoro; simulque ipso facto demonstraverint, se cum tota Africana & Orientali Ecclesia Episcopo Romano nullum primatum, neque se pro libitu reprehendendi, corrigendi que potestatem concedere. Si autem (ut verè sentit in notis suis Simon Gaulartius Silvanectinus) Firmilianus, Cyprianus, & tot alii Orientis & Africæ Episcopi in Stephanum rectè sentientem, tam acerbè in hac Firmiliani & præcedentibus Epistolis, de Baptismo hæreticorum agentibus, scripserunt, quibus scriptis excepissent novos Episcopos Romanos? Nam quamvis Firmilianus orthodoxam sententiam de Baptismo postea est amplexus; tamen Episcopum Romanum, aliorum Episcoporum Principem, non agnovit. Pamelius quidem epistolam hanc non editam esse, consultius fore putat, ideoque Manutium, quod eam consulto omiserit, laudat. Nempe hic candor, & hoc veritatis studium est Pontificiorum, ut ea, quæ in veterum scriptis sibi adversari vident, vel alio modo ac respectu non placent, supprimant. Nos potius integritatem & veritatis amorem ac studium Manutii commendamus & prædicamus, quod nullo habito respectu ad Personam, vel Papam ipsum, illam evulgare non dubitavit, atque eo ipso, effecit, ut hic vel Pamelius vel alius quispiam Papanus nihil quicquam amplius negare, suppressere vel prætermittere possit.

LVII. Ut autem hi Episcopi Orientales & Africani nullam ejusmodi potestatem & primatum concesserunt Episcopo Romano: Sic neque Patres Concilii Niceni: Cujus canon sextus est: *Antiqua consuetudo valeat in Ægypto & Lybia & Pantapoli, ut in hos omnes auctoritatem Alexandrinus Episcopus habeat, quando quidem ipsi Romano Episcopo idem mos est. Similiter & Antiochia & in aliis Provinciis sive Ecclesiis prærogativa honoris conservatur.*

LIX. Secuta est Synodus secunda Constantinopolitana: quæ ob rerum præsentem statum non nihil mutandum putavit in politia Ecclesiastica, & inflectendam Nicenam de-  
 termi-

terminationem. Rationem jam dicam. Est ergo in hac Synodo iste factus Canon tertius. τὸν μὲν Κωνσταντινῆ πόλεως Ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεία τῆς τιμῆς μὲν τὸν τῆς Ῥώμης Ἐπίσκοπον, ἀλλ' τὸ εἶναι αὐτῆν νέαν Ῥώμην. *Ut Constantinopolitanus Episcopus honoris prerogativas obtineat secundum Romanum Episcopum: quia sit nova Roma.* Hujus quoque meminit Nicephorus lib. 12. cap. 13. *Constituerunt praeterea, ut secundum Romanae urbis Episcopum Constantinopolitanus antistes, primum & praecipuum obtineret honorem, ut qui novae urbis curator sit. Non enim urbs ea, tantum ita nominata est, & populi honoribus, magistratibusque exornata: Verum etiam signis, moribusque, & legibus cum Romanis in Italia iisdem gloriatur, atque utique ex aequo paria sunt, & dignitatis praemia, & honorum jura.*

LIX, Tertia dehinc Synodus Ephesi congregatur; sed contra Constantinopolitanum Episcopum, tum temporis haereticum, videlicet Nestorium: ea propter de ejus sedis dignitate nihil actum. Sed deventum ad quartam: In qua Canon praescriptus vigesimus octavus, & quidem auditis Romanis legatis contra nitentibus. *Definimus & communi calculo sancimus, quod attinet ad prerogativas honoris sanctissimae Ecclesiae hujus Constantinopolitanae, novae Romae. Etenim Patres sedi antiquioris Romae, ob eam causam, quia Imperium obtineret urbs illa, merito primatum honoris detulerunt. Sed & eadem ratione moti centum quinquaginta religiosissimi Episcopi, aequalem primatum honoris assignarunt sanctissimae sedi novae Romae. Recte judicantes, eam urbem, qua Imperio & Senatu honestatur: & iisdem privilegiis fruentem tum antiqua Roma & regia; etiam in Ecclesiasticis negotiis aequè cum illa extollendam, sic tamen ut post eam secundum locum obtineat.* En hic vera causa exprimitur, cur Episcopo Romano primus honoris locus tributus fuerit: eadem quoque motus Imperator voluit, ut propter translata sedem imperatoriam Episcopus Constantinopolitanus illi in honore esset aequalis. Nam postquam Constantinus Imperii sedem Romam abstulit, Constantinopolimque transtulit, mirum, quantum incrementum urbs ista cepit. Itemque visa mereri suum locum inter

Patriarchas: quandoquidem jam certum erat, dignitatem omnem, quæ erat supra Episcopos, distribui cæpisse secundum urbium dignitatem.

LX. Sexta tandem Synodo, quæ Constantinopoli quoque coacta fuit, & Trullensis à Secretario Palatii cognominata, hic factus est Canon trigessimus sextus: *Renovantes ea, quæ statuta fuere tum à centum quinquaginta sanctis Patribus, qui in hac regiâ, Deoq; chara urbe convenerunt, tum à sexcentis triginta, qui Chalcedone, ὁρίζομεν, ὡς τὴν Κωνσταντινὴ πόλιν τῶν ἴσων ἀπολαβεῖν πρεσβείων τῆς πρεσβυτέρας Ἰερῶν, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνον μεγαλύνεσθαι πρῶτα, δευτέρου μετ' ἐκείνον ὑπέρχοντα, μετ' ὃν ὁ Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως, καὶ μετ' ἄλλον τῆς Ἱεροσολυμίτων πόλεως.* Statuimus, ut Constantinopolitana sedes, æquis fruatur honoris prerogativis cum Romana, inque negotiis Ecclesiasticis exaltetur ut illa: Sic tamen, ut secunda sit post eam; tum Alexandrina: postq; eas Hierosolymitana.

LXI. Gratianus hunc Canonem in jure Canonico distingit. 22. cap. 6. *Renovantes* insigni fraude & impudentia corripit, sic eum vertendo & allegando: *Renovantes sancti Constantinopolitani decreta Concilii, petimus, ut Constantinopolitana sedes similia privilegia, quæ superior Roma habet, accipiat: Nō tamen in Ecclesiasticis rebus magnificetur, ut illa: Sed hæc secunda post illam existens prius quam Alexandrina sedes numeretur; deinde Antiochena, & post illam Hierosolymitana.* Profectò aut Papa Græcas nescivit literas, aut eum oportet fuisse extremè impudentem. Ubi enim Concilii Canon habet ὁρίζομεν, quod est *definimus*; ibi Jus Canonicum vertit vel substituit, *petimus*: Ubi Canon Concilii τῶν ἴσων πρεσβείων, hoc est, *equalia privilegia*; ibi Jus Canonicum *similia privilegia*. Concilium habet τῆς πρεσβυτέρας Ἰερῶν, id est, *antiquioris*: Jus Canonicum *superior Roma*. Tandem Concilium habet καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, ὡς ἐκείνον μεγαλύνεσθαι πρῶτα, id est: *Et in Ecclesiasticis æquè atq; illa exaltetur negotiis*: Jus Canonicum: *Non tamen in Ecclesiasticis rebus magnificetur ut illa.* Atque sic affirmationem expressè transformat in negationem. Sicque manifestura



festum crimen falsi turpissimè committit. Quod, quia haec  
tenos à nostris exaggeratum, facti illos pudere cepit, pro-  
indeque in nonnullis exemplaribus correctum, & non tantum  
mutatum in *nec non*, cum addita tamen nota, quod antea le-  
ctum fuerit, *non tantum*. Sic Papa argumentis destitutus ad  
mendaciam se recipit.

LXII. Hi verò sunt Canones ad hoc negotium perti-  
nentes. Deinceps enim in Conciliis Oecumenicis magnum  
hac de re silentium: Particulares verò sibi nunquam tantum  
judicium sumserunt. Inde porrò firmissima ducuntur ar-  
gumenta contra Oecumenici Pontificii causam. 1. Eodem  
modo ab urbe Roma, in qua sedere dicitur Romanus, ut  
ceteri à suis urbibus, in quibus sedent, denominantur, Con-  
stantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosoly-  
mitanus: Cum autem æqualitas & analogia est in nomini-  
bus; Cur in subjectis significatis fingenda tanta anomalia,  
ut Romano ceteri subjiciantur? 2. Constantinopolitanus  
æquatur Romano in negotiis Ecclesiasticis: Ergò aut duo  
erunt oecumenici; quod falsum: aut Romanus non est Oecu-  
menicus; quod verum. 3. Recensentur ut Patriarchæ,  
qui non ex inæqualitate jurisdictionis, sed tantum ratione  
ordinis distinguuntur, ut Romanus sit ordine Primus, Con-  
stantinopolitanus ordine secundus & sic porrò. Quod verò  
absurdè fieret, si solus Romanus esset Oecumenicus. 4. Ob-  
servatur non tantum in allegatis Canonibus Constantinopo-  
licanum Patriarcham æquari Romano, sed reliquos etiam,  
Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum, quippè  
qui & ipsi, æquè ut Constantinopolitanus, solo numero sive  
ordine à Romano distinguuntur. Ubi nunc regnum to-  
tius Ecclesiæ? nusquam apparet: Simulque intelligitur, quo-  
usque vera sint, quæ Becanus respondet lib. 3. Repub. Eccles.  
cap. 5. object. 5. *Constantinopolitano nimirum Episcopo, à Syno-  
do Constantinopolitana tribui præcipuam dignitatem post Episco-  
pum Romanum, non verò parem cum Episcopo Romano, sitq; de-  
finitum, ut post Pontificem, qui semper supremus in Ecclesia habitus  
est.*

*est, proximum locum teneret Constantinopolitanus, non autem  
Alexandrinus aut Antiochenus: nequaquam illa vera esse de præ-  
eminentia dignitatis ac potestatis, sed tantum de ordine, ut  
nimirum Romanus in ordine sessionis Constantinopolitano  
præferretur, & in Conciliis semper primum obtineret lo-  
cum: dignitatis verò & potestatis respectu per  
omnia æquales essent.*

**F I N I S.**





